

**PROPOSITIONES || DE DOTIBVS,|| Quas,|| Ad consequendum Summum in
vtro#[que] || Jure gradum || ... Praeside || HENRICO CAMERARIO || Philosophiae
& I. V. D. Antecessore Or-||dinario, & Facultatis Iuridicae || Decano.|| Publicè
disputando tuebitur || VVILHELMVS CLERICVS || Sundensis Pomeranus || Fiet
disputatio in Auditorio magno, 8. Septembris ... ||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1596

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789462363>

Druck Freier  Zugang



R. U. jur. 7596.12

Campanus, Heinrich Pres.

Glennius, Wilhelm Resp.

10 7

xxx.

PROPOSITIONES
DE DOTIBVS,

Quas,

*Ad consequendum Summum in utroq[ue]
Jure gradum*

Diuino auxiliante Numine.

Præside,

HENRICO CAMERARIO

Philosophiæ & I. V. D. Antecessore Or-
dinario, & Facultatis Iuridicæ
Decano.



Publicè disputando tuebitur
VVILHELMVS CLERICVS
Sundensis Pomeranus

*Fiet disputatio in Auditorio magno, 8. Septembris, inci-
pietq[ue] hora sexta matutina.*



ROSTOCHII

ANNO reparata salutis M. D. XCVI
Stephanus Myliander Excudebat.

RU jur. 1596 Camerarius, Heinrich/2



Amplissimis, Clarissimis ac Consultif-
simis, nec non in omni doctrinarum
& virtutum genere Præstantis-
simis Viris:

Dn. PETRO HEGIO J. V. D.
Illustrissimi Electoris Saxonæ Consilia-
rio, & in celeberrima VVitebergen-
sium Academia Codicis Pro-
fessori dignissimo,

Dn. HENRICO BVCHOVIO
I. V. D. & in inclyta Sundensium Re-
publica, Consuli meritissimo,

*Dominiis Consobriniis suis & patronis in-
debita gratitudinis & observantia mo-
numentum.*

D. D. C.
Respondens.

1533. VIII. 48



PROPOSITIONES
DE DOTIBVS.

Thesis I.



Ois appellatio, quamuis aliàs æqui-
uoca, & ad varias res extendatur; pro
subiecta tamen materia, non inconcinne
dos definitur, ius pecuniæ constitutæ
marito pro oneribus matrimonij.

II.

Hæc secundum veteres Iuris con-
ditores profectitia est vel aduentitia.

III.

Profectitia vocatur, quæ à patre
vel virilis sexus parente, de bonis, factouè eius proficiscitur.

IV.

Aduentitia, quæ aliundè, non à parente, vt parente aduenit.

V.

Cæterùm assignatur dos à quibusdam non nisi ex spontanea
voluntate, & vlrò: ab alijs etiam inuitis, ex legum præscripto &
necessitate, exprimitur.

VI.

Vlrò dotem largiuntur illi, in quorum arbitrio ab initio po-
situm fuit, non constituere: semel tamen constitutam, posthabiro
cuiuscunq; sint sexus, masculi siue foeminae, cessante etiam aucto-
ritate Senatusconsulti Velleiani præstare necesse habent.

VII.

Ex legum præscripto astringitur parens, cuius sunt partes,
dotem pro sua dare progenie: adeò vt si hoc renuat, ex constitu-

A 2

tione

tionem Diui Seueri & Antonini, filiam in matrimonium collocare,
& dotare etiam inuitus cogatur.

VIII.

Et hoc in tantum procedere putamus, vt parens æquè filiam
nuptam, atque illam, quæ nondum nupserit dotare compellatur.

IX.

Quid autem si in scio patre nuptias contraxerit: num à dotis
petitione remouebitur, id haud expeditum est? Nos si parens
conditionem filiae, post annum 25. ætatis quærere negligat, modò
non indigno se copulet, dotandam arbitramur.

X.

Nec hac in parte distinguendum censemus, vtrum filia dotem
marito promiserit, vel absque dotis promissione nupserit.

XI.

Pari modo de filia adoptiua ambigitur: num à parente ado-
ptiuo dotem exigere possit? Et quidem cum filia adoptiua ex-
traneo in adoptionem data, non transeat in ipsius potestatem, sed
iura patris naturalis intacta retineat, dotem à parente adoptiuo ef-
flagitare haud posse putamus.

XII.

De filia verò emancipata, maior existit dubitatio, an dos illi
debeatur? Nos fauore nuptiarum & propter affectionem persona-
rum, ad hoc decurrendum vt doteur, æquitati magis conueniens
esse statuimus.

XIII.

Occurrit etiam illa excutienda quæstio: num parens filiae,
quæ diuitijs in tantum abundat, vt sibi dotem congruam conficere
possit, dotare insuper teneatur? Et quamuis id passim tam ab an-
tiquioribus, quam recentioribus Iuris Interpretibus negetur: affir-
mativæ tamen calculum addere non veremur.

XIV.

Hinc & illud consequens est, quod licet parens bona filiae
materna, vel quæ acquisitionem eius effugiunt, administrat omni
sua subiecta habeat, vel alias debitor filiae sit, & simpliciter dotem
constituat; ex sua liberalitate, non de bonis filiae fecisse, debito
quoque in sua figura manente intelligatur.

Quod

XV.

Quod autem diximus parentem cogi prolem suam dotare non ad omnem, sed ex iusto & legitimo matrimonio susceptam, extendimus; liberi ergò ex nefario complexu quæriti, ex iuris quidem Ciuilibus dispositione à paterna substantia, veluti indigni arcantur: de æquitate tamen Canonica contraria opinio, moderatè illas esse dotandas, inualuit, cui astipulamur.

XVI.

Interim parùm referre arbitramur, vtrum ipse parens, aut alijs, eo animo, vt parentis negotium gerat, dotem pro filia expendat: siquidem hoc in rem parentis versum dicitur.

XVII.

Hac verò necessitate eximitur parens, si filia hæretica prauitate infecta sit, in eaq; obstinatè perseueret, vel aliàs ingrata existat.

XVIII.

Sanè matri hoc onus dotandi, nisi ex magna & probabili causa, vel specialiter expressa, vt si mater hæretica, filia orthodoxæ fidei addicta sit, minimè incumbit.

XXI.

Sed an filius matri, ad secunda vota transeunti, dotis nomine quid præstare obstrictus sit: anceps quæstio est? Nos licet id plerique fateantur, negatiuam tamen vti veriorem amplectimur.

XX.

Eadem ratione, hoc onere dotandi releuamus fratrem, maxime si soror opulenta sit, ita vt dotem sibi conficere valeat.

XXI.

Denique ad Curatorum quoque spectat officium, adultis suis dotem promittentibus, consensum accommodare, vt modus ex facultatibus, proq; dignitate mulieris nubentis & mariti statuatur.

XXII.

In dotem porò res omnis dari potest, quæ commercio hominum exempta non reperitur, tam mobilis, quam immobilis, æquè corporalis atque incorporealis.

XXIII.

Quin imò nulla lege prohibitum, omnia sua bona in dotem dare, modò hoc in fraudem creditorum vel liberorum non fiat.

XXIV.

Verum si res in dotem assignetur; utrum ea dotis nomen mereatur, ambigitur. Sunt qui id negant? sed contrariae opinioni adhaeremus.

XXV.

Eadem ratione in dotem dantur, non minus res aestimatae, quam inaeestimatae, licet dissimili modo. Aestimatae enim si dentur & quidem ante matrimonium consummatum, haec conditio subintelligitur, si nuptiae fuerint secutae: quibus non securis res data, non pretium repetitur, eaq; si perierit, mulieris damnum est.

XXVI.

Securis vero nuptijs, rerum aestimatio perficitur, & maritus quasi emptor, commodum earum sentit, dispendium subit & periculum exspectat.

XXVII.

Cum igitur aestimatio veram inducat emptionem, dotis tamen causa, non inconcinne quaeritur; si alter conjugum in aestimationis modo circumventum se dicat, utrum illi non nisi ultra dimidium, iustae aestimationis, laesum se prober; succurratur? Et quamvis nonnulli laesum infra dimidium excludant: nos tamen utroq; casu circumscripto subveniendum esse asserimus.

XXVIII.

At si res inaeestimata in dotem tradita sit, ea melior & deterior mulieri sit: maxime si praedium urbanum vel rusticum datum, cuius alienatio & deminutio utrunq; mulier assentiat, marito interdicta est.

XXIX.

Ex quo etiam apparet, maritum in his rebus inaeestimatis, casum fortuitum non praestare: sed sufficere si eam diligentiam adhibeat, qualem rebus proprijs adhibere consuevit, nisi res quae in suo genere functionem recipiunt, acceperit, eas enim ad arbitrium suum distrahit, periculumq; uti dominus sustinet.

XXX.

Rerum autem aliarum inaestimatarum, utrum maritus verus efficiatur dominus, admodum controuersum est. Nos subtilitate iuris verum eum dominum esse dotis arbitramur, ita tamen ut res ipsa vxoris in dominio naturaliter manere concludamus.

Hinc

XXXI.

Hinc etiam constat inanem esse inuestigationem, vtrum soluto matrimonio uxor sine noua traditione rei dotalis, efficiatur domina.

XXXII.

Præterea constituebatur olim dos ut plurimum solenni datione, quæ cum in defuetudinem abierit: hodiè datione vel stipulatione siue nuda promissione, effectum sortitur.

XXXIII.

Datione dos constituitur, cum mulier ipsa, vel alius nomine mulieris eo animo, ut dotis sint, res dotales marito offert, idq; contingit tacitè vel expressè.

XXXIII.

Tacitè veluti cum mulier antenuptæ in matrimonium redit, dos etiam in priori matrimonio data, in posteriori repetita censetur.

XXXV.

Exindè illa elegans enascitur quæstio: utrum mulier quæ primo nubit viro, & omnia bona sua simpliciter, nulla facta mentione dotis tradit, tacitè eadem in dotem obtulisse præsumatur? Et quamuis multi in affirmatiuam inclinent, nos tamen in negatiuam procliuiores sumus.

XXXVI.

Expressè dos offertur, cum marito aut ipsius iussu alij, dotis loco res traditur, vel debitori marito, mulier acceptum fert, vel dotis constituendæ causa debitorem suum delegat.

XXXVII.

Stipulatione dos constituitur, cum quis ipse vel per sibi subiectas personas dotem stipulatur.

XXXVIII.

Quinimò etiamsi nuda duntaxat promissio, nec vlla vel minus valida intercesserit stipulatio, lex tamen fingit re ipsa & quidem vtilem interuenisse stipulationem.

XXXIX.

Quocirca etiam ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, nec monumentorum obseruationem desideramus; sed qualiacunq; sufficiunt verba, siue ea scripta fuerint, siue non.

XL.

Quamuis non parum intersit, vtrum certa quantitas

vel

vel species in promissionem deducatur vel incerta; Indefinita enim parentis si fuerit promissio, arbitrio quoque detracto valet: extranei verò & mulieris nisi arbitrium adit, inefficax habetur.

X L I.

Quoniam igitur omni dotis promissioni tacitè stipulatio inesse dicitur, eadem promissio quoque firmam ex stipulatu actionem, subsecuto demùm matrimonio, producit, siquidem hæ promissiones in se habeant conditionem, si nuptiæ fuerint secutæ, quibus non secutis parùm vtiliter hac actione agitur.

X L I I.

Marrimonium verò iustum & legitimum intelligimus, cum dotis appellatio non referatur ad ea matrimonia, quæ consistere nequeunt, ex qua ratione vbi veræ nuptiæ, ibi dos & dotis actio.

X L I I I.

Experitur autem hac actione maritus, aduersus promissorem, & heredes eius, vt id quod promissum est, præstern.

X L I V.

Et quidem promissor non modo ad rem ipsam, verùm etiam si extraneus post biennium transactum, ex tempore matrimonij, parens & vxor contestim à die nuptiarum, in mora soluendi constituentur, ad vsuras, iure conueniuntur.

X L V.

An autem hoc casu, vt promissor dotis in mora constituatur, interpellatio desideretur, controuerſi iuris est, sunt qui interpellationem, requirunt. Sunt qui minimè necessariam esse contendunt, quibus posterioribus assentimur.

X L V I.

Hoc igitur modo dote constituta & soluta, maritus onera matrimonij sustinere cogitur, in quorum etiam recompensationem fructus, constante matrimonio perceptos, suos facit, aded vt ne in contrarium pacisci liceat.

X L V I I.

Hinc scrupulo non caret vtrum vxor dote non soluta domo exigi, ac alimenta denegari possint? Et quamuis non ulli affirmatiuam tueantur, nos tamen negatiuam vt æquiores probamus. Atqui

XLVIII.

Atqui cum dos proprium mulieris patrimonium dicatur, non perpetuo quoque penes maritum residere debet, sed soluto matrimonio, nonnunquam constante auocatur.

XLIX.

Animaduertendum autem verbum soluto matrimonio, ex constitutione D. Titi, ad vtrumq; casum, tam mortis quam diuortij porrigi.

L.

Dos igitur quæ soluto siue constante matrimonio auocatur, vel profectitia est vel aduentitia.

LI.

Profectitiam soluto matrimonio, aut parens sibi restitui expressè stipulatus est, aut non est.

LII.

Priori casu si parens dorem sibi reddi, specialiter stipuletur, non paciscatur, dos ad filiam non reuertitur, modò in omnem casum dissoluti matrimonij stipulationem conceperit, in quem enim casum non pepigit, mulieris est actio, nisi in fraudem patris maritus repudium mittat, tunc vtile iudicium dotis recuperandæ datur.

LIII.

Verùm vt per hanc stipulationem, dotis petitionem parens in se transferat, in continenti & statim, id est, tempore oblationis & promissionis vt stipuletur necesse est: ex interuallo enim dorem sibi restitui stipulari haud poterit.

LIV.

Posteriori casu si parens sibi dorem stipulatus non sit, & matrimonium dissoluatur diuortio, vel morte mariti, dos profectitia communis est patri & filia, & vtriusque tam in exigenda quam soluenda, voluntas exquiritur, nec alter alterius conditionem, deteriorè reddere potest.

LV.

Quæ voluntas filia ex constitutione D. Anton. accessisse dicitur, non tantum cum expressè consentit, verùm etiam quoties non euidenter contradicit: quatenus tamen filia præsens sit, quod si absit, parens de rato cauere tenetur.

LVI.

At si filia contradicere non possit, vt putà furore perpetuo

B

correc-

correpta, quasi ex voluntate filiae, pater experiri videtur, nec cautio deirato requiritur. *LVI.*

Quocirca maritus dotem alij, quam cui uterque iubet, restituere non cogitur, nisi pater solus iubeat, dotis actio filiae non erit adempta, vel si voluntate solius filiae promittatur, remanebit dotis actio integra patri.

LVIII.

Sanè si tam turpis persona patris sit, ut verendum ne dotem acceptam consumat, officium iudicis interponendum, quatenus filiae & patri competenter consulatur.

LIX.

Sin verò matrimonium morte mulieris distrahatur, dos profectitia ad patrem reuertitur, ne & filiae amissae & pecuniae damnum sentiat.

LX.

Nec refert an filia mortua, emancipata vel adhuc in patris potestate constituta sit.

LXI.

Utrum autem idem obtineat, ut dos ad patrem morte filiae liberis superstitibus redeat, inter antiquos glossatores, Martinum & Petrum, Iohannem & Bulgarum, maximè concertatum fuit: adeò ut nonnulli neutram opinionem probare ausi sint. Nobis in tanto conflictu DD. Iohannis & Bulgari indistinctè, siue liberi extant, siue non, affirmantium opinio probabilior videtur.

LXII.

Similiter inter Martinum & Bulgarum digladiatum fuit: an parente mortuo, dos penes maritum maneat? Nos cum Bulgaro id negante concludimus.

LXIII.

Aduentitiam, quoque dotem, soluto matrimonio ille qui dedit specialiter pactus vel stipulatus est, sibi restitui vel non.

LXIV.

Quod si specialiter extraneus dando dotem paciscatur vel stipuletur eam sibi reddi, & quidem in omnem casum, quoquo modo matrimonium dirimatur, dotis petitio illi soli competit.

LXV.

Secus si non pactus vel stipulatus sit, nec omnem casum comprehenderit, praesumitur mulierem, stipulationem fecisse, ut ei dos acedat, etiam in casu in quo non pepigit sibi dotem restitui.

An.

LXVI.

An verò petitio dotis aduentitiæ, filiaë in sacris paternis adhuc constitutæ & patri sit communis: inter Dd. non conuenit. Accursius & veteres interpretes negatiuam præbant. Nos affirmatiuæ accedimus.

LXVII.

Non tamen vt profectitia mortua filia, in patris lucrum cedit, ita & aduentitia, sed eam ad heredes suos mulier transmittit.

LXVIII.

Cæterùm constante matrimonio, quamuis dos nec sponte solui, nec ab inuito exigì possit, cùm instar donationis illa refusio dotis obrinere videatur: attamen vtrumque ex causa legitima, permittitur.

LXIX.

Sponte soluitur dos, non perdituræ vxori, vt liberis, fratribus, parentibus, succurrat, vt ab hostibus redimat, se suosq; alar.

LXX.

Ab inuito exigitur, cùm maritus ad inopiam deducitur, & res suas malè gubernat, ita tamen ne vigente marito, & constituto matrimonio, vxor dotem alienet: sed fructibus eius ad sustentationem tam sui quàm mariti, filiorumque si quos habet, abutatur.

LXXI.

Quid autem si mulier sciens prudensque nubat obærato, vel prodigo: an hoc beneficio gaudeat, dubitatur? Nos repetitionem minimè admittendam censemus.

LXXII.

Non minus disceptatur, vtrum marito ad fortunam meliorem, vel mores saniores redeunti; dotis administratio, iterum committenda sit? Nos reiecta negantium sententia, affirmatiuæ suffragamur.

LXXIII.

Similiter quæri solet, num etiam fideiussor pro securitate dotis, à marito dari possit? Nobis rectè volente marito fideiussorem dari placet, sed ab inuito exigì posse negamus.

LXXIV.

Porro cùm mulier rerum dotalium possessionem propria auctoritate ingredi facultatem minimè habeat: nec etiam

bona mariti, circa iuris ordinem sibi addici, petere possit, pro restitutione dotis, sublata rei vxoriae actione ex stipulatu agendum.

LXXV.

Hæc igitur ex stipulatu actio, quamuis aliàs stricto iure vallata; tamen cum in locum rei vxoriae actionis, quæ bonæ fidei fuit, suffecta sit, naturam quoque bonæ fidei iudicij, meruit.

LXXVI.

Datur autem hæc actio, siue stipulatio de dote reddenda intertenerit, siue non, pro diuersitate (vt diximus) dotis profectitiæ & aduentitiæ, diuersis quoque personis.

LXXVII.

Et quidem aduersus ipsum maritum & socerum, si maritus filiusfamilias sit, & dos socero data, vel iusserit filio dari, si non iussu soceri dos filio numerata sit, peculiotenus saltem tenetur.

LXXVIII.

Verùm hæc actio non datur aduersus maritum ipsum & socerum, nisi quatenus facere possunt, adeò vt ne pacto hoc effici possit, vt in solidum damnetur maritus, secus in herede.

LXXIX.

Interim excluditur ab hoc beneficio, maritus, si dolus ipsius mariti, non culpa arguatur. LXXX.

Et sane in hanc actionem non modò res ipsa vel æstimatio venit, verùm etiam, quicquid maritus dotis respectu consecutus est.

LXXXI.

Restitutio verò rei dotalis immobilis confestim, mobilis intra annum omnimodo, fieri debet: nisi dos relegatur, vel pactum vt vt citiore non longiore die reddatur, interueniat.

LXXXII.

Exindè illa quoq; occurrit examinanda quæstio: an maritus fructus rerum dotalium mobilium, intra annum illam dilationem perceptos, lucretur? Nos illud haud concedendum arbitramur.

LXXXIII.

Præterea non omittendum illud, vxori rebus dotalibus extantibus, non modo competere hanc ex stipulatu actionem, sed etiam rei vindicationem. LXXXIV.

Quinimò cum lex tacitam hypothecam mulieri in bonis ma-

iii

rici tribuerit, hypothecaria quoque rebus æstimatoris in dotem datis, vel inæstimatoris non exstantibus indulta, aduersus maritum eiusq; creditores omnes. LXX XV.

Hinc illa celebris inter Martinum & vltiramontanos, Bulgaram & citramontanos, agitata controuersia enascitur. Vtrum mulier ratione tacitæ hypothecæ, omnibus alijs etiam expressam anteriorem habentibus præferatur? Nos, cum Martini affirmantis opinio, Cæsaris Imperialis præiudicio confirmata sit, eidem assistipulamur. LXXXVI.

Hæ autem actiones omnes, & dotis etiam restitutio inhihetur, ob impensas in rem dotalem factas, maximè necessarias, quæ ipso iure dotem minuunt: aded vt si dos tota soluta, non habita ratione impensarum, ea condici possit.

LXXXVII.

Impensæ tamen necessariae, eatenus dotem imminuunt, quatenus quid ad perpetuam rei vtilitatem impensum sit, non præsentis temporis causa, aut quærendorum fructuum gratia.

LXXXVIII.

Respectu verò vtilium, nulla datur retentio, sed si voluntas mulieris intercedat, mandati actio indulgetur: si non intercedat, vtiliter tamen res gesta est, negotiorum gestorum sufficit actio, secus in voluptuarijs quæ non habent exactionem, sed mulier pati cogitur, vt maritus eas tollat, si modò separationem recipiant.

LXXXIX.

Verùm an his actionibus etiam compensatio, quæ fit per retentionem, obijci possit non inutiliter quaeritur? Nos compensationem non admittendam asserimus.

XC.

Eadem ratione hæ actiones cessant, si vxor adulterio se contaminasse probetur: nisi mariti lenocinio adulterata sit.

XCI.

Non tamen idem ad mulierem quæ se osculari patitur, vt dotem amittat, extendimus.

XCII.

Similiter concertatur. Vtrum vidua ob stuprum commissum dote priuanda sit? Nos in mitiorem sententiam eorum, qui id negant inclinamus.

B 3

Pari

XCIII.

Pari modo dote mulctatur vxor, si sine iusta & probabili causa marito repudium mittat, quo casu liberis deficientibus, modo dos sit propria vxoris, nec profectitia, marito applicatur.

XCIV.

Quamuis ob delictum viri, cuius particeps vxor non est, bona dotalia in fiscum non deferantur, sed à fisco occupata, mulieri restituenda sunt.

XCV.

Quemadmodum nec ex delicto mulieris auferenda dos viro, dum matrimonium consistit, nisi delictum dotis dationem præcesserit.

XCVI.

Ex quo etiam apparet, dotem mulieri soluto matrimonio restitutam, rectè ex delicto auferri, quod ad causam ingratitude extenditur.

XCVII.

Pari modo hæ actiones denegantur, quoties pacta de dote vel eius parte lucranda, in casum diuortij vel mortis interueniant, quæ tamen lucra liberis superstitibus, si qui sunt, referuanda.

XCVIII.

Planè si vir ipse occidat vxorem, vel ab alio necatæ mortem non defendat, dos posteriori casu tanquam ab indigno auferitur, & fisco vindicatur, priori, dotis actio heredibus comperit.


XCIX.


Denique si statutum in loco aliquo vigeat, vt dos vel dotis pars in mariti lucrum cedat, his actionibus locus non datur.

Coronidis vicem subeat illa quæstio?

C.

Utrum statutum loquens de lucro dotis, ad dotem etiam promissam porrigatur, de qua non leuiter inter DD. nostros controuertitur? Et quamuis sunt, qui id negent, contraria tamen probabilior nobis videtur opinio.





bona mariti, citra iuris ordinem sibi addici, petere possit, pro resti-
tutione dotis, sublata rei vxoriae actione ex stipulatu agendum.

LXXV.

Hæc igitur ex stipulatu actio, quamvis aliàs stricto iure valla-
ta; tamen cum in locum rei vxoriae actionis, quæ bonæ fidei fuit,
affecta sit, naturam quoque bonæ fidei iudicij, meruit.

LXXVI.

Datur autem hæc actio, siue stipulatio de dote reddenda in-
t, siue non, pro diuersitate (vt diximus) dotis profectiua
ria, diuersis quoque personis.

LXXVII.

in aduersus ipsum maritum & socerum, si maritus si-
dos focero data, vel iusserit filio dari, si non ius-
numerata sit, peculiotenus saltem tenetur.

LXXVIII.

non datur aduersus maritum ipsum & so-
cerum, si dote non petere possunt, adeo vt ne pacto hoc effici-
possit, vt datur maritus, secus in herede.

LXXIX.

Interim si dote beneficiu, maritus, si dolus ipsius
mariti, non culpæ, non potest petere.

LXXX.

Et sane in hæc actio, si modo res ipsa vel æstimatio ve-
nit, verum etiam, quod si res ipsa vel æstimatio
dotis respectu consecutus est.

Restitutio verò rei dote, si non petatur, mobilis intra
annum omnimodo, fieri debet, si petatur, vel pactum vt
vt citiore non longiore diebus petatur.

LXXXI.

Exindè illa quoq; occurrit, si dote, si non petatur, mobilis intra
fructus rerum dotalium mobilium, si non petatur, vel pactum vt
perceptos, lucretur? Nos illud haud dubie petatur.

LXXXII.

Præterea non omittendum illud, vt si dote, si non petatur, mobilis intra
tantibus, non modo competere hæc ex stipulatu, sed
etiam rei vind. cat onem.

LXXXIV.

Quiaimò cum lex tacitam hypothecam imponit.

